DE

# MORBO NIGRO.

## DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE I. M. APRILIS A. MDCCCXX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*FR. GUIL. CH. DINGELSTEDT*

DERENBURGICO-HALBERSTADIENSIS

OPPONENTIBUS

*SPROEGELIO*

DOCTORE

*GRAEFIO*

CANDIDATO MEDICINAE

BEROLINI

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

# VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO ERUDITISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

# FRID. HUFELAND

DOCTORI MEDICINAE AC CHIRURGIAE, PROFESSORI ORDINARIO PUBLICO IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA ATQUE EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE BEROLINENSI, CONSILIO AULICO, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIUM SODALI ETC.

HOCCE

REVERENTIAE ET GRATI ANIMI

TESTIMONIUM

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Hippocratis jam inde temporibus notiones medicorum, quas de morbo nigro habuerunt, valde inter se dissentiebant, ut ex scriptis eorum luculenter intelligitur. Hippocrates [1]) et plurimi veterum medicorum, adsectatores ejus morbum nigrum in hepate sedem habere crediderunt eaque propter materiam cruentam vomitu ejectam pro bile gusto spissiori habuerunt. Magna autem hujus materiae copia, sapor non amarus, color niger qui aqua addita rubescit, nec flavus est, neque non effusio sanguinis arteriosi, quae nonnunquam simul observatur et denique funerum obductiones, vomitum in morbo nigro non biliosum sed cruentum esse abunde nos docent, sic ut nullam res amplius habeat dubitationem.

§. 2.

Postea multi medicorum a morbosa lineis conditione hunc morbum derivarunt, siquidem sanguinem ex liene effluere asseruerunt, et prop-

1) de morb. Lib. II. Sect. V.

terea inprimis, quod post mortem aliquando lien quoad volumen imminutus et multis non unius generis vitiis organicis destructus invenitur, vasaque brevia nimis dilatata sunt. Alii, causam hujus morbi in vitiis et desorganisationibus hepatis, obstructionibus inprimis, quibus congestiones et stagnationes in systemate venae portarum orirentur et transitus sanguinis ex arteriis in venas inpediretur, quaesiverunt.

§. 3.

Medicorum opiniones de loco ex quo sanguis profluat etiamnum minime consentiunt. Portalus [1]) sanguinem arteriosum esse autumat, quoniam injectionibus institutis massam injectionis per arteriam gastricam superiorem facile in cavum ventriculi penetrare vidit, cum e contrario venae sanguine turgentes, etsi eas comprimere nunquam intermisit, nihil sanguinis in ventriculum effunderent. Reilius [2]) quoque a sententia hujus auctoris non valde abhorret quoniam varices, ut saltem opinatus est, rarius inveniuntur et haemorrhagiae activae in genere rarissime a venis proficiscuntur. Uterque autem haemorrhagiam ex affluxu sanguinis ad arterias coronarias ventriculi inpetuosiori explicare student, si nimirum hepar vel lien propter affectionem morbosam sanguinem

---

1) Mem. T. II. p. 115.
2) *Fieberlehre* 3. *Bd.* p. 150.

per arteriam coeliacam iis advectam excipere nequeunt, ideoque ex anastomosi extremorum arteriarum ventriculi morbose mutata.

§. 4.

Contra autem Muzelius, Stuckelegus, [1]) Sprengelius [2]) et P. Frankius [3]) melaenam a venis originem ducere opinati sunt. Muzelius lienem parvum et induratum fuisse, et materiam ei quae in decursu morbi evomitur similem, hocce viscus comprimendo commode in ventriculum compelli observavit. Ast non solum abnormitates modo commemoratae, sed quoque varices venarum ventriculi, quae coronariae vocantur, nec non venarum lienis sicuti quoque destructiones hujus organi adesse solent, sic ut reliquiae ejus interdum vix inveniantur.

§. 5.

Stuckeleyus venam splenicam in morbo nigro sanguinem lienalem in ramos suos, inprimis in venam coronariam ventriculi majorem et gastro-epiploicam, quibus mediantibus in ventriculum effunderetur, impellere credit. Praeterea sanguinem quoque ex ipsa vena portarum in venam

---

1) *Bey Sprengel Handbuch der Pathologie* 3 *T. p.* 22.
2) *Handbuch der Pathologie p.* 22. 23.
3) Epitom. Tom. V. p. 204.

coronariam ventriculi minorem et e vena epiploica sinistra in gastro-epiploicam dextram, motu scilicet regressivo, influere posse probabile ei videtur, propterea quod non raro in venas mesentericis materia nigra ei per vomitu mejectae similis deprehenditur et ipsae venae mesentericae supra modum dilatatae sunt.

§. 6.

Sprengelius circuitum sanguinis per venam portarum et lienalem reterdatum, magnam sanguinis quo lien abundat copiam, anastomoses arteriarum et venarum nec hydrogenisationem et carbonisationem sanguinis in iis effectam, inprimis computat, et in hisce momentis non solum lividum sanguinis lienalis colorem et naturam ejus dissolubilem, sed etiam commercium explicavit, quod melaena cum morbosis hepatis et lienis desorganisationibus, cum stagnationibus in systemate venae portarum, haemorrhoidibus et fluxus menstrualis perturbationibus alit.

§. 7.

P. Frankius morbum a systemate venoso proficisci dissertis verbis confessus est. Haasius [1]) contra melaenam malum systematis modo arteriosi

---

[1]) *über chronische Krankheiten* 1. *B.* *p.* 394.

modo venosi esse posse, contendit et eam hujus mali speciem ab arteriis originem trahere credit, quae subito sine prodromis et a gravioribus viscerum abdominalium vitiis oritur, vel potius symptoma inflammationis hepatis vel lienis est, vel etiam metastates ex suppressione haemorrhoidum et fluxus menstrualis comitari solet, quo in casu brevius temporis spatium inter ipsos morbos primarios et vomitum cruentum intersit, quam quod ad dilatationes varicosas exformandas, sic ut venae sanguinem fundant, requiritur. Rebus ita se habentibus, haemorrhagiam utplurimum per anastomosin, interdum fortassis etiam per diapedesin et quidem in ultimis ramificationibus arteriarum ventriculi nec non aliarum quae in vicinia sitae sunt, contingere opinatus est. Huc spectant etiam ex ejus opinione observationes Schoberi et Budei, [1]) qui scilicet viri vesicam felleam post mortem parvam et materia nigra repletam observarunt. Porro Hunteri [2]) observationes, qui, sanguinem in febre flava per arteriam hepaticam in ductus biliarios et ex his per ductum choledochum in tractum intestinalem effundi, asseruit. Denique auctor ille funerum quoque obductionibus nititur, siquidem haud raro inflamatio intestinorum inveniatur. Melaenam autem morbum systematis nervosi esse contendit, si, vitiis organo-

---

1) Emphemerid. Natur Courios. *bey Reil Fieberlehre* p. 143.

2) Dissertatio de flava Ind. febre Edinburg.

longe frequentius lineis inflamationem, cujus signum pathognomicum praebet, esse ostendit.

§. 10.

Morbo nigro maxime sunt obnoxii, homines aetate jam profectiores, post annum quadragesimum et quinquagesimum, qui macilenti et constitutiones atrabilariae sunt. Praeterea gracilitas corporis, mobilitas animi et inprimis morbosa nervorum abdominalium abalienatio melaenae favere dicuntur. Qui igitur vitiis viscerum abdominalium, habitu cachectico sic dicto, tumore pedum oedematoso, spirandi difficultate et febribus intermittentibus malignis, pertinacioribus laborant, quos arthritis et podagra diu vexavit, quorumque viscera abdominalia morbis illis male decurrentibus morbose affecta sunt, morbo nigro facile afficiuntur. Denique animi quoque affectus deprimentes, moeror, tristitia, stomachus etc. melaenam allicere possunt.

§. 11.

Prodromi, qui menses et annos antecedunt, sunt inprimis habitus corporis cachecticus, pallor faciei, appetitus ciborum deficiens et quamquam appetentia eorum interdum angeatur, corpus tamen minime reficitur. Huc referuntur vitia concoctionis varii generis, flatulentia et intumescentia abdominis, ructus, ardor ventriculi et saepius quo-

que sensus pressionis, ponderis atque doloris in regione ventriculi et hypochondriorum, qui post postum augetur. Saliva saporis acidi, viscida atque spumosa exspuitur, anxietas, pectoris oppressio et respiratio laboriosa et anxia aegrotum vexant, et interdum vestigia intumescentiae hepatis et lienis nec non durities et tensio in regione harum partium simul cum ardore in variis abdominis locis observantur. Alvus est inordinata, spiritus male olet, sanguis haud raro e naribus exstillat, susurrus aurium et aliae affectiones nervosae adsunt; pulsus intermittit, parvus et debilis est, aegrotus doloribus colicis saepe excruciatur. Antecedunt et comitantur vomitum cruentum utplurimum vertigo, animi deliquium, dolores dorsi atque lumborum, ardor urens abdominis, tormina ventris, inflatio ventriculi et alvi, anxietas, ructus frequentiores, calor capitis vagus, qui Kaempfio [1]) monente infarctus et graves viscerum abdominalium morbos praesagit, horrores et frigidi inprimis manuum et pedum sudores.

§. 12.

Sub hisce symptomatibus sanguis per os vel per anum ejicitur. Nullam certe haemorrhagiam animi deliquium saepius comitari solet quam hanc, cum autem haud raro antecedat minime a sangui-

---

1) *über Hypochondrie p.* 160.

nis profusione sed a spasmo universali, qui circulationem sanguinis per vasa sanguifera impedit, derivari potest.

§. 13

Qualitas autem sanguinis effusi maxime differt et modo sanguis coagulatus, nigrescens et quasi piceus est, modo fuscus, faecibus cerevisiae aut vini similis, et tanti acoris ut dentes habescant et arrodantur. Materia per os vel per intestinum rectum ejecta haud raro coloris expers, interdum foetidissimum et cadaverosum odorem spargit. Excrementa cruenta mox pura, mox aliis materiis quae in ventriculo et intestinis continentur, mox tenaci et viscido muco, bili flava, viridescente et faecibus mixta excernuntur. In genere autem quo celerius sanguis in ventriculum effusus evacuatur eo clarior est, quo diutius autem commoratur eo magis nigrescit, facilius coit atque corrumpitur.

§. 14.

Ast non solum qualitas sed quantitas quoque sanguinis effusi non semper eadem est. Sic v. c. Schenckius [1]) intra nycthemerum vigenti sex, Henckius [2]) autem intra horas trigenta sex, septem libras sanguinis coagulati per vomitum re-

---

1) Observat. rar. B. 5. p. 328.
2) *Handbuch der Pathologie B. 2. p. 163.*

jectas esse memoriae tradiderunt. Sanguis autem in intervallis expellitur et in intermissionibus aegroti levamen sentiunt; sed vires tamen deficiunt, abdomen tumidum et inflatum manet, sensus pressionis atque dolores in regionibus hypochondriacis quamquam mitiores perdurant, vertigo et scintillae ante oculos morbum testantur, aegrotus mox ut plurimum in somnum quietum incidit et expergefactus demum ab omnibus aegritudinibus quasi solutus quodammodo recreatur. Attamen symptomata utplurimum mox iterum increscunt, nova oritur sanguinis effusio, et sic menses quin annos morbus durare potest, quod etiam Wagneri [1]) observationes testantur. Sin autem paroxysmus saepius redit, aegrotus jactura sanguinis et maxima virium porstatione emoritur.

Melaena interdum primo jamjam insultu mortem adducit, interdum verum etiam symptomata sensim sensimque remittunt et aeger sanescit, cujus rei Schlegelius [2]) memorabile exemplum narravit.

## §. 15.

In funerum obductione viscera abdominalia morbose affecta et vario modo corrupta inveniuntur. Hapar vel molle, spongiosum et supra modum est auctum vel parvum et induratum,

---

1) *Hufelands Journ. d. p. Heilk. B.* 16. *St.* 2. *p.* 150.
2) *Materialien zur Arzneywissenschaft* 1. *B. p.* 108.

lien mollis et tumidus sanguine nigrescente abundat, vel parvus est et durus. Lien quod mirum videri possit, ubi quoad volumen adductus est hepar est parvum et vice versa. Morgagni [1]) cadaver sacerdotis cujusdam morbo nigro emortui dissecuit et hepar permagnum et steatomatibus corruptum observavit. Parenchyma hepatis coloris albidi atque destructum fuit. Lien grossi magnitudinem habebat et glandulae mesentericae minimae erant, sic ut primo intuitu plane deesse viderentur, ventriculus et intestina callosa et maculis nigrescentibus passim obsessa fuerunt. Portalus [2]) vasa sanguifera vario modo mutata vidit. Sic v. c. arteria coronaria ventriculi valde dilatata et vasa brevia quoque ad digiti crassitiem accedebant, venae autem mesentericae sanguine scatentes, intestini duodeni magnitudinem attingebant et vasa ventriculi et intestinorum in cavum tractus intestinalis hiabant etc.

## §. 16.

Ex hisce omnibus intelligitur, causam proximam melaenae in debilitate, laxitate et resolutione vasorum, nec non in abalienatione viscerum abdominalium et morbosa sanguinis ipsius mutatione quaerendam esse. Sanguinem autem ab iis, qui morbo nigro laborant, per os vel per alvum ejec-

---

1) De sed. et caus. morb. Tom. II. p. 109.
2) l. c. p. 66.

ejectum e variis locis profluere posse, ex antea dictis in aperto est. Fundunt nimirum sanguinem vel vasa ventriculi ipsius, quorum extrema dilatantur, anastomosin aut diapaedesin patiuntur, rumpuntur aut arroduntur vel sanguis per vasa brevia e liene, vel ex hepate, pancreate vel intestinis in ventriculum et intestina influit, dummodo vasa harum partium modo supra commemorato laeduntur. Omnia, quae vim vitalem vasorum abdominalium debilitant et supprimunt, morbo nigro ansam praebere possunt. In viscerum abdominalium atque etiam ventriculi et intestinorum vasis, sanguinis stagnationes illorumque obstructiones atque infarctus, non solum vasorum debilitate, sed etiam ab aliis causis, potissimum a plethora abdominali, sanguinis spissitudine, vel spasmis, qui eorum extremitates occupant, motus corporis voluntarii ad sanitatem conservandam necessarii neglectu, vitaque sedentaria oriri, ex principiis pathologicis constat,

## §. 17.

Plethora abdominalis oritur, plerumque a plethora universali, atque etiam ab aliis causis, quae congestionem sanguinis versus viscera abdominalia efficiunt, ut spasmis corporis humani externis periphericis vel debilitate vasorum abdominalium vel causis in ventriculi et intestinorum cavis haerentibus, istaque irritantibus, ut sordibus primarum viarum varii generis. Isti spasmi pellunt sanguinem a peripheria corporis externa versus

partes internas et congestio semper fit versus istam partem, quae reliquis est debilior, vel irritatur. Plethora praesente nimia copia sanguinis vasa justo magis distendit eorumque contractioni et vi pellenti nimis resistit, quo non potest non sanguinis per vasa motus, potissimum per vasorum extremitates minimas, per quas ejus transitus jam per se est difficilis, justo tardior et difficilior fieri et stasis oriri. Sanguis, qui non sufficiente motu agitatur, facile spissescit et sanguis spissus ad vasa, praesertim minima, motum decenter conficiendum minus aptus, justo tardius et difficilius progreditur, facileque in istis stagnat. Sanguinis spissitudo non a solo ejus a plethora retardato et imminuto motu, sed a multis etiam aliis causis oritur, ut ab assumtis viscidis et motu corporis voluntario ad sanitatem conservandam necessario neglecto, vita sedentaria, potulentorum praesertim tenuium, justo parciori nec sufficienti usu etc. Vita nimis sedentaria, inprimis incurvo compressoque abdomine, hujus compressiones haud intermissae aut justo diutius vel frequentius factae liberum atque expeditum sanguinis per abdominis viscera motum valde retardant et impediunt, et quidquid gradum caloris naturalis in abdomine auget, et usus potulentorum aquosorum calidorum nimius, abdominis viscera nimis debilitat, humorum in ista affluxum auget, congestiones et plethoram abdominalem efficit, ex quibus sanguinis stagnationes in viscerum abdominis atque etiam ventriculi et intestinorum vasis, horumque obstructiones et infarctus oriri possunt.

§. 18.

Sanguis per arterias, coeliacam et utrasque mesentericas ad ventriculum, mesenterium, omentum, pancreas et lienem defertur et ex hisce omnibus visceribus reducitur per venas in venam portarum per hepar innumeris ramis distributam. Nunc ex principiis physiologicis constat, sanguinis per hepar et venam portarum motum esse, multo tardiorem et difficiliorem, quam in omnibus reliquis abdominis visceribus. Quodsi igitur causae accedunt, quae hunc sanguinis per hepar jam satis tardum et difficilem motum magis retardant atque inpediunt, veluti solito major sanguinis copia, quam pro ejus expedito et facili per vasa cursu necessarium est, ejus spissitudo vel acrimonia vasa irritans et irritando constringens, vel utraque simul, sanguinis congestio versus hepar, necessarii motus voluntarii neglectio, viscidorum alimentorum usus nimius, necessarii potus usus justo parcior vel insufficiens, cetera, fieri nequit, quin sanguinis per venas ex ventriculo, mesenterio, intestinis, omento, liene et pancreate in hepar refluxus justo magis impediatur, venae harum partium sanguinis majori copia repleantur et distendantur, idemque contingat arteriarum per dicta viscera distributarum extremitatibus atque sic stagnationes sanguinis in viscerum abdominis vasis, horumque obstructiones et infartus oriantur.

§. 19.

Quam plurima vero sunt mala eaque gravia et periculosa, quae stagnationes sanguinis in viscerum abdominis atque etiam ventriculi et intestinorum vasis horumque obstructiones atque infarctus inducunt. Sanguinis enim in ventriculi et intestinorum vasis horumque obstructiones et infarctus nec esse, nec cogitari possunt, sine ventriculi atque intestinorum, utpote partium maxime sensibilium et irritabilium, praeter naturam aucta irritatione doloribus, spasmis, nausea, conatu vomendi, ipso vomitu, praecordiorum anxietate, cardialgia et colica sanguinea aliisque malis et symptomatibus. Sanguis vasa obstructa, in quibus stagnat et accumulatur, distendit et vehementer distenta facile anastomosin vel diaeresin patiuntur, unde morbus niger oritur.

§. 20.

Sanguis in vasis stagnans subit quoque varias mutationes. Stagnatione spissescit et partibus fluidioribus, quae abeunt, magis magisque privatur crassisque solis relictis in coagulum spissum coit et compingitur atque etiam in massam quandam solidam pro mixtionis, quam antea habuit, varietate diversam concrescit. Stagnatio itidem nascentem ex aequabili mixtione blanditiem corrumpere atque acrimoniam producere potest, quae irritando et erodendo varia iterum creare potest mala.

§. 21.

In aegris, qui malo hypochondriaco laborant, sanguinem non decenter libero atque expedito,

sed potius plus minus impedito per viscera abdominis, praesertim per hepar, ferri motu et modo in his modo in illis vasis et visceribus stagnare, quid quod saepe in hoc malo viscerum obstructiones atque infarctus subesse, ita ut multi medicorum principes non dubitaverint, hujus mali originem a non satis libero atque expedito, sed potius inpedito sanguinis per abdominis viscera circuitu derivare, ex principiis pathologicis constat. Quae cum ita sint, clarissime apparet ratio, cur hypochondriaci morbo nigro prae ceteris sint obnoxii. Quid enim facilius contingere potest, quam sanguinem in ventriculi atque intestinorum vasis stagnantem atque accumulatum a sanguinis continuo affluentis inpetu a tergo urgente propelli, vasa perrumpere et eorum orificia extrema dilatare et morbum nigrum producere, quid quod sanguis in suis vasis stangnans atque accumulatus varias praeternaturales mutationes subire, putrescere et acris evadere potest, quo facto vasa arrodi et errosa sanguinem in ventriculi et intestinorum cava effundere possunt. Mirum igitur non est, sanguinem his in casibus vomitu ejectum, graveolentem valdeque putridum fuisse. Noli autem putare, me hanc sanguinis putredinem ejus progressivae in vasis stagnationi soli tribuere, minime, etiam sanguis vasis effusus non putridus etiam diuturna mora in ventriculo et intestinis putredinem concipere potest, quod supra jam monui.

§. 22.

Tissot [1]) varias notatu dignas memoriae prodidit de aegris malo hypochondriaco obnoxiis, qui morbo nigro fuerunt correpti, observationes quae dicta confirmant. Hi aegroti vehementibus ventriculi atque intestinorum, dorsi, lumborumque doloribus, ingenti praecordiorum anxietate et animi deliquio correpti, vomitu et ano sanguinem tam rutilum et fluidum, quam atrum et crassum plus minus putridum et foetidum ejecerunt, eorumque faeces aterrimae, splendentes, picem liquefactam referentes, foetoris putridi acutissimi, habitusque corporis pallidi, flaccidi et sudore frigido perfusi fuerunt.

§. 23.

Melancholiam, in quam malum hypochondriacum saepe transit frequenter morbum nigrum producit. Geofroy [2]) memorat hominem sexagenarium et sedentarium, qui diu acutis ventriculi doloribus, sensu molesto in tota epygastrica regione, tarda et laboriosa digestione, flatibus, alvi obstructione laborans, ipecacuanha et purgantibus aliquoties lacessitus, sanguinem demum nigerrimum sursum deorsumque ejecit, aquis alcalinis Viciensibus, moscho, camphora, opio tractatus periit, alia methodo veresimiliter sanandus.

---

1) in Epist. med. pract. p. 108.
2) Journ. de Medec. Tom. 8. p. 244.

§. 24.

Non vero hypochondriaci solum, sed etiam haemorrhoidibus obnoxii, quibus earum fluxus non accidit vel ortus sponte cessat, vel alia ratione supprimitur aut cohibetur aut non satis, nec rite atque ordine procedit, et ex his isti potissimum, qui cardialgia et colica haemorrhoidali affliguntur, morbo saepius nigro tentantur. Si enim sanguis exitum per vasa haemorrhoidalia molitur, non autem venit, in vasis ventriculi atque intestinorum stagnat atque accumulatur et cardialgiam et colicam producit, et tunc facile vasa disrumpere vel extremitates eorum nimis dilatare et vel per diaeresin vel per anastomosin in ventriculi atque intestinorum cava se effundere, morbum nigrum efficere potest. Tissot tradidit, Fr. Hoffmannum [1]) vidisse hominem, qui ex supressis haemorrhoidibus gravissimis colicis doloribus et continuis animi deliquiis fere per annum correptus, incidit demum in vomitus et successus nigros, denique diem obiit supremum cum coli sphacelatione. Etiam ea, quae Alberti [2]) Dissert. de haemorrhoidum anomaliis §. XVI. memoriae prodidit, maxime illustrant et confirmant ista, quae hactenus dixi.

§. 25.

Saepius foeminis, quibus mensium fluxus retentus suppressus, vel obstructus fuit morbum ni-

1) in Epist. med. pract. p. 53.
2) Dissert. de haemorrhoidum anomaliis.

grum accidisse, non semper cum subsecuto damno vel periculo et saepe hujus fluxus supressi vices sine ullo sanitatis incommodo egisse, observationibus constat. Ita Timaeus a Güldenklee [1]) meminit cujusdam matronae nobilis 40 annorum, quae retento ultra biennium fluxu menstruo circa ultimam lunae quadrantem, copiosissimum sanguinem vomitu ejecit, initio a chirurgo sanguinem sistentia ei fuerunt exhibita, a quorum usu pessime se habuit, et notabile est, quod scribit auctor, quod cum nullis remediis mensium fluxus restitui potuisset, duraverint hi vomitus sine ullo sanitatis incommodo usque ad quadragesimum octavum annum, quo sponte desierunt, valetudine corporis deinceps variis morbis subinde tentata, ut plerumque deficientibus per aetatem mensibus fieri solet. Thomas Bertholinus, [2]) Schenkius, [3]) et alii auctores similes observationes memoriae dediderunt.

§. 26.

Febribus non solum intermittentibus sed etiam continuis, praesertim putridis et malignis sic dictis, vomitum cruentum, alvi dejectiones frequentes et largas, nigras, pici similes plus minus putridas, ut symptomata accessisse observarunt Torti. [4])

---

[1]) oper. medict. pract. edit. Rivini p. 189.
[2]) Histor. anatom. Cent. V. hist. 42.
[3]) Observat. med. rar. Libr. III. de vomitu p. 359.
[4]) Therapeut. special. p. 174.

D. Weber, [1]) Tissot, [2]) aliique. Fr. Hoffmannus [3]) refert casum de infante unius mensis, cui prodierat in dextro brachio unica nocte tumor insignis, qui mox lividus ac durus cum venis inflatis redditus, tenello, postquam per tres dies et noctes continuo ejulaverat et per alvum materiam instar picis nigram ejecerat, vitam eripuit. Dissecto malae conditionis tumori cuncti substrati musculi una cum vasis exesi, corrupti, putrefacti, sanguine foetido infarcti comparuerunt et exigua admodum sanguinis quantitas in reliquis corporis vasis fuit reperta, Illam vero nigram materiam per alvum excretam ex intestinis venisse, patet ex eo, quod adhuc ibi non nihil ejus superaverat et vasa intestinorum nigro sanguine turgida apparebant.

## §. 27.

Quo magis praedispositio jam exformata est eo leviores causae occasionales, ad morbum nigrum provocandum, requiruntur, sine praedispositione autem eademque maxime praevalente nunquam fortassis oritur malaena, et propterea sine dubio morbus raro tantum observatur. Stoll [4]) vidit pueros diarrhoea subinde et dysenteria cruenta laborantes a solis vermibus. Ita refert Fr.

---

1) Observat. med. fasc. II. p. 29.
2) Epist. med. pract. p. 178. 180.
3) Med. rat. syst. Tom. IV. P. II. Sect. I. cap. 4.
4) Rat. medendi P. IV. p. 480.

Hoffmannus [1]) virum quendam 65 annorum laborasse ante aliquot annos vomitu sanguinis et sanguinea ejectione per anum, quae picis liquidae nigrae prae se ferebat speciem. Huic malo occasionem dedit maxima corporis commotio et ingens nisus in saccis asinis molaribus imponendis. Idem memoriae prodidit casum de ejectione sanguinea ab emmenagogis calidis lethali etc.

§. 28.

Periculum cum morbo nigro conjunctum in genere permagnum est, siquidem graviora utplurimum viscerum abdominalium vitia, quae raro tantum sanationem admittunt, ansam praebuerunt et quo magis vitia hujuscemodi metuenda sunt, eo magis vita periclitatur. Haemorrhagia utplurimum ipsa vehementior est et propter causarum pertinaciam insultus facile redeunt. Attamen non semper morbus adeo malignus est, et interdum aegroti sanescunt, quin imo postea nonnunquam meliori valetudinis conditione, quam antea gaudent, et igitur melaena quoque vi salutari interdum pollere videtur. Sic v. c. Welfius [2]) historiam mulieris cujusdam memoriae tradidit, quae mensibus sine ordine respondentibus, doloribus colicis, pectoris oppressione et calore vago laborabat. Denique fluxus menstrualis plane suppres-

---

[1]) Dissert. de morbo nigro §. XXIII.
[2]) *Reils Fieberlehre* 3. B. p. 150.

sus est et aegrota sanguinem nigrum per vomitum et per alvi dejectiones excrevit. Kaemerus [1]) feminae cujusdam plethoricae mentionem fecit, quae per viginti annos quotannis vomitum cruentum experta est et male se habuit, simulac ulla de causa vomitus ille impeditus est. Lange [2]) in epistolis suis historiam abbatissae annorum octo et quinquaginta narravit, quam singulis annis dolores abdominis non febriles affecerunt, qui vomitu cruento soluti sunt etc.

## §. 29.

Curatio hujus morbi est duplex, alia nimirum sub ipso paroxysmo alia in intermissionibus morbi. In ipso morbi insultu aegroto necessaria quies concedenda et corpus in aëre puro atque recenti commode collocandum est. Omnia, quae influxus irritantes in corpus exerere possunt, sedulo evitentur necesse est, et inprimis ad haemorrhagiam ipsam nunquam non attentio dirigenda erit. Remedia autem vel nulla vel blandissima tantum involventia et emollientia adhibentur. Pro potu utimur v. c. lacte ebutyrato, mucilagine avenae, emulsione amygdalina, decocto hordei cum succo citri, cremore tartari etc. Post paroxysmum medici, ubi sordes primis viis inhaerent, medicamenta leniter purgantia et clysmata emollientia praece-

---

1) *Reils Fieberlehre 3. B. p. 150.*
2) *Reils Fieberlehre 3. B. p. 150.*

teris commendant. Aegroto praescribimus extractum radicis taraxaci et graminis in aqua chamomillae solutum cum kali tartarico, terra foliata tartari, cremore tartari vel etiam cum sale Seignette. Porro decoctum tamarindorum quoque ex usu est, attamen bene omnino notandum est omnia haecce remedia in debita dosi adhibenda esse, sic ut ventriculum minime quidem offendant et tamen ter quaterve in dies alvum ducant. Praeterea usus horum remediorum quamdiu materia nigra adhuc redundat cujus excretione aegrotus allevatur, sedulo continuandus est. Sin autem debilitas magna est, quae alvi dejectionibus augetur, infusa herbarum leniter adstringentium cum jure carnium, vel etiam infusum chinae frigide paratum propinatur. Interdum vomitus maxime urget, ast non solum a sanguinis effusione in ventriculum, sed etiam ab irritabilitate morbose adaucta dependet, quo in casu opium inprimis in forma fluida, scilicet tinctnra opii et simplex et crocata, fomentationes sedantes e floribus chamomillae et herba hyoscyami abdomine imponendae, balnea tepida ex usu erunt. Ubi ructus supra jam commemoratus et vomitus humoris acidi, corrodentes aegrotum inprimis vexant, potio Riveri cum vel sine opio et aqua lauro-cerasi, remedia certe efficacissima, valde laudantur. Spasmi abdominis remediis externis abunde cognitis inprimis autem clysmatibus antispasmodicis ex infuso valerianae et asae foetidae sedantur. Dolores lateris sinistri usui magnesiae calcinatae cedunt, et

Wagnerus [1]) hocce remedium, quod cum semine anisi ad unum vel duo cochlearia adhibuit, satis extollere non potest. Hoc, inquit, remedium dolores haud raro intra quadrantem horae quasi arte magica tollit, flatus secedunt, alvus sponte respondet, saliva non amplius in ore confluit, vires prostratae iterum restaurantur et aegrotus effectu hujus remedii sensum vitae quasi beatoris percipit. Quoties dolores accedebant, quod bis vel ter in dies fieri solebat, usu magnesiae calcinatae, mox atque feliciter placati sunt et aegrotus per noctem somno quieto fruitus est. Interdum nimia sanguinis profusio periculum minatur, quo in casu remedia styptica sic dicta commendantur v. c. vinum generosum, naphthae, tinctura cinnamomi, lavationes extremitatum e vino tepido et ubi periculum urget, nix et glacies adhibentur. Praeterea aegrotus ex animi deliquio suscitatur et remedia indicata sine omni intermissione administrantur. Reilius inprimis commendat fomentationes manum et pedum, pediluvia et irritationes intestini recti clysmatibus effectas, nec non usum aquae Rabeli. Adaerus [2]) oleum terebinthinae ad guttulas decem cum vitello ovorum et ex aqua cinnamomi dilutum ad usum internum inprimis laudavit. Adhibuit autem remedium hocce in aegroto, qui libram sanguinis puri neque cum faecibus mixti per alvum reddiderat et intra biho-

---

1) *Hufeland Journal d. p. H. XVI B. 2. St. p.* 162.
2) *Reils Fieberlehre 3. B. p.* 182.

rium plures similes evacuationes passus erat. Quamquam singultus adfuit et pulsus digitis vix explorari potuit, haemorrhagia tamen prima hujus remedii dosi propinata imminuta, et postquam aegrotus per noctem medicinam illam ter adhuc devoraverat, mane subsequente excrementa sanguine non amplius tincta erant. Paucis diebus praeterlapsis nova sanguinis quidem effusio exorta, sed usu olei terebinthinae protinus suppressa est.

§. 30.

Curatio extra paroxismum in intermissionibns morbi, causarum remotione maxime nititur. Quae indicatio etsi gravissima est, tamen rarissime tantum ei satisfacere possumus Ubi arthritis atonica morbo occasionem praebuit, naphtha, oleum cajeput, balnea sinapea atque emplastra vesicatoria commendantur. Fluxum haemorrhoidalem et menstrualem suppressum, kali tartarico, sulphure, applicatione hirudinum ad anum et partes genitales nec non aliis remediis revocare studemus. Ut stagnationes, tumores et indurationes hepatis et lienis feliciter interdum solvantur, utplurimum extracta operitiva sic dicta v. c. taraxaci, graminis, saponariae, chelidonii majoris, cicutae etc. commendantur. Praeterea herba degitalis purpureae, remedia antimonialia et mercurialia cum gummi ammoniaco et Galbano ex usu esse possunt. Praeter remedia modo commemorata in obstructionibus lienis a Thilenio inprimis aqua

lauro-cerasi tamquam remedium specificum, ab initio ad guttulas decem et in dosi ad triginta et sexaginta guttas sensim adaucta valde laudatur. Diaeta conditionibus aegroti bene accomodata, congruum vitae regimen, exercitationes corporis, itinera voluptatis causa suscepta, vectio etc. sanationem omnino adjuvant. Desorganisationes viscerum, quae sub sensus cadunt, ab alienatione et atonia virium vitalium harum partium idiopathica proficiscuntur et propterea inprimis curatio radicalis raro tantum contingit.

---

## CURRICULUM VITAE.

Ego Fridericus Guilelmus Dingelstedt die XVIII m. Julii anno millesimo septingentesimo nonagesimo octavo Derenburgii in ducatu Halberstadiensi natus, patre usus sum Guilelmo Dingelstedt, qui munere chirurgi forensis in urbe commemorata fungebatur. Ab infantia inde pater meus carissimus animum meum studiis litterarum et artium excolendum curavit. Anno millesimo octingentesimo decimo septimo Berolinum me contuli, ut ibi medicinae et chirurgiae vacarem et a Viro Ill. Linck, tunc tempore fasces academicos habente, civibus universitatis litterarum adscriptus sum et per triennium hasce Virorum Amplissimorum praelectiones frequentavi: physicen atque chemiam Ill. Turte; botanicen et pharmacologiam Ill. Linck; zoologiam Ill. Lichtenstein; encyclope-

diam medicam, anatomiam sensuum organorum et pathologicam Ill. Rudolphi; osteologiam syndesmologiam, splanchnologiam, anthropologiam forensem et artem formulas medicas conscribendi Ill. Knape, nec non iisdem ducibus anatomiam practicam excercui. Porro praelectionibus de physiologia deque materia medica Cel. Osan; de pathologia generali et semiotice Ill. Hufeland; de acologia Cel, Bernstein; de fracturis et luxationibus ossium neque non de arte obstetricia Cel. Kluge; de chirurgia generali Ill. Rust; de morbis ossium dynamicis et chirurgia speciali Ill. Graefe; de operationibus chirurgicis Ill. Mursinnae; de therapia tam generali quam speciali Perill. Chr. Hufeland et Ill. Fr. Hufeland, interfui. Scholas medico-clinicas Cel. Neuman; chirurgico-clinicas Virorum Ill. Graefe et Rust diligenter frequentavi. Iam tentamine et examine rigoroso feliciter absolutis et dissertatione more majorum publice defensa, spero, fore ut doctoris medicinae et chirurgiae honores mihi concedantur.

---

## THESES DEFENDENDAE.

*I. Cuilibet corporis humani organo inest vis vitalis propria.*

*II. Sine inflammatione antegressa nullum oritur pus.*

*III. Per menstrua in sanis foeminis nihil noxii evacuatur.*

*IV. Omnis sanatio ab ipso organismo perficitur.*